



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Andreas Ap. 30. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

illico senserunt peste abrepti. Demum mortem sibi, alteri insulam suam vaticinatus, inter preces, quibus serè vitam duxit, absolvit vitam, in opem præcipuè D. Martinum vocans, qui morienti adfuisse non vanis argumentis creditur. Illud indubium, ad decumbentem virginum. Reginam SS. hinc Theclâ, illinc Agnere stipatam venisse, eam ob causam, uti ipsa agebat, quòd in precibus suis RADBODVS numquam non memor VIRGINIS fuisset. Et verò qui matris oblivisci filius posset, terrè oblivisci filiorum mater hæc non potest. Ex *Surio.*

Iustitia per se sibi abundat ad gloriam: spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit: à Deo genita calum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta, semper à Deo solo, ut glorificetur, expectat. S. Petr. Chryl. serm. 9.

S. ANDREAS AP 30. Novembri.

ANDREAM, quo D. Petrus germano gaudebat, tradunt omnium primum Christi scholæ nomen dedisse; arcanorum magistri inter paucos omnium conscium, quam hauserat doctrinam, ab ejus morte Scythiæ primò, mox Epiro & Thraciæ, tum Achaïæ etiam intulisse; hinc contra Procol. Ægeam, crucis acerrimum inimicum, fortiter rem gessisse; ab hoc ad impia sacrificia invitatum id respondisse: nobilius sibi sacrificium, idque quotidianum esse & ineruentum; Agnum illum omnis maculæ expetrem, & qui, postquam ejus carne sanguineque omnes Christiani vixissent, non minùs tamen etiam ipse integer viveret; sub hæc in vincula conjectum esse, eximendum facile, nisi manus ipse Christianis, precibus suis, *vinxit-*

vinxisset; Protractum inde, ne supra magistrum primus etiam discipulus esset, virgis cæsum, ad crucem raptatum esse: hanc procul conspectam amicissimè salutasse, ad hanc velut ad exoptatam vitæ metam properasse, hanc velut expetitum senio suo scipionem amplexatum esse, velut nobilissimum suggestum cupidissimè conscendisse, ab eâ duos dies totidemque noctes ab ejus ore hominum millia xx. pependisse; quorum accursu cum teritus Procol. detrahere eum de cruce cogitaret, ANDREAM, id ne fieret, magnopere Deum esse precatum, ac proinde inter multum, qui precantem cinxerat, splendorem, è cruce ad cælum, Ægeam verò à malo dæmone, obtorto collo, ad pessimam crucem in orbem abiisse: ex tumulo denique ejus oleum stillasse, & hoc uno dolore suum Christianos leniisse. *Ex Baron.*

Felix anima, quæ in cruce gloriatur & triumphat: tantum ut perseveret in eâ, & nullis valeat tentationibus desici. Oret igitur quisquis in cruce est, cum B. Andream Dominum & magistrum suum, ne patiatur eum de cruce deponi. S. Bern. serm. 2. de S. Andr.

S. IOSCIOCONE. 30 Novembris.

VT nullo non tempore suam VIRGINI nescere corollam possis, Mariane, ecce tibi rofas in hieme etiam suggerimus. Cape sis, & horum ex quo illæ veniunt, nobiscum mirare. Vixit anno post partum virgineum M. C. LXIII, apud Audomarense IOSCIVS monachus, & MARIA unusquisque amator. Amoris alia argumenta taceo, unum prodo, quod prius cælum prodidit. Igitur, ut nunquam animo dulce illud nomen MARIA excideret, quinque quotidie sibi dicendos Psalmos delegit,